



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **V. P. Gasparis Družbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica**

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Družbicki, Societatis Jesu, Tribunal Conscientiæ Per Varias  
Examini Industrias seipsam dijudicantis, Tendentibus ad perfectionem,  
præsertim Religiosis accommodatum

**Družbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066413**

Industria IX. Ratio Examini super Spiritus fervorem, ac novitatem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45441**

## INDUSTRIA IX.

*Ratio Examinis super spiritus fervorem, ac novitatem.*

**PUNCTUM I.** Examinis erit. Agere gratias Divinae Bonitati pro omnibus vitae annis, tibi datis ad hoc, ut servias ejus super eminentissimae Majestati & Dignitati, quales quidem anni, cum his circumstantiis, paucissimis omnino hominibus contigerunt à Divina manu.

**PUNCTUM II.** erit. Petere abundans lumen à Deo, ut cognoscas, quomodo & superiora vitae tempora egeris & sequentia (praecipue autem praesentia) deinceps acturus sis, maxime quantum attinet ad fervorem ejus Divini obsequii, ad quod proderit expendere ea diligenter, quae tertio Puncto adferentur.

**PUNCTUM III.** Expendere sequentia.

1. An hodie Intentionem generalem renovaveris, reflexè & advertenter, servienti Deo, faciendique & patiendi omnia propter Deum, cum fervore intensioris, puritate sublimis intentionis, diligentia applicatae executionis, ordine debita dispositionis?

2. An omnia opera tua à Religione, sive statu, ab Officio, à Superiore, à charitate, à necessitate, ab electione, à natura, ab occasione tibi imperata curaveris facere cum majori fervore, ita ut praecedens opus excederetur quantum in te, & ex vi voluntatis tuae, in fervore, sublimitate, diligentiaque, in majore & majore millies proportione fervoris, sublimitatis, diligentiae? &c.

3. An in operibus arbitrariis tibi. adhibueris electio-



electionem, & advertentiam voluntatis, voluntariique fervoris, puritatis, & applicationis, ſive diligentia, ita ut dicta opera evaderent Deo gratiora, per voluntatis Induſtriam, adhibitasque ab ea circumſtantias gratioſiores, relictis minus gratis minusque grata opera facientibus?

4. An non ſolum in circumſtantiis operis, prælegeris magis gratas minus gratis, ſed etiam in iſtis operibus, hunc delectum feceris, ita ut relictis minus gratis operibus, feceris magis Deo grata? Porrò tam circumſtantiæ, quàm operationes illæ magis gratæ cenſendæ ſunt, quæ plus Deum exaltant, quæ hominem operantem magis vilificant, in quibus nihil hominis ab homine quaeritur & intenditur, in quibus purius, ſublimiusque reſignatius, & deſæcatiùs quaeritur Deus, quæ intenſiore ſunt fervore & charitate, quæ ſunt majore cum diligentia, conatu, applicatione, hilaritate, patientiâ adverſariorum, perfeverantiâ, exinanitione, perditione, oblivione, morte hominis, &c.

5. An excitaveris in te, & quoties in diem, & quomodo, novum fervorem ſerviendi Deo, & quomodo exaltandi, ita ſcilicet ut hodie ſic curaveris Deo ſervire, quomodo antehac nunquam, hac hora amplius quàm præcedente omni, hoc quadrante, hoc minuto temporis, quàm omni præcedente. Item hoc membro, hac potentia, hac paſſione, hac actione, hac circumſtantia, hac atomo, amplius quàm unquam aliàs, in proportione millies, milliesque majori. Ita ut curaveris, nunquam tui ſimilis in fervore, à te, tuaque conſcientia, & à Deo, ejusque conſcientia inveniri, ſed ſemper ad ulteriora profectus progreſſus-



gressusque sis in fervore, puritate, diligentia, idque in proportione millies milliesque majori. In hoc passu (& in similibus) etsi intellectus noster non deficit, sciens ita fieri posse, voluntas quoque vult ita facere, efficacia conatur, vires tamen deficiunt, ne adæquemus intellectum, & affectum effectui. Nihilominus apud Deum, & scire, & velle, & conari, meritorum est, non enim Deus ex hoc nos metitur, quod possumus, sed quod & quantum scimus, scientes volumus, volentes conamur & facimus. neminem proinde terrere ista, & talia, sed solari & animare debent.

6. An proposueris tibi Deum ad imitandum in agendo, ut scilicet sicut Deus quidquid agit, toto se, conatuque toto agit, sic & tu quantus quantus es, totus te toto, non quidem in operationem, sed in operationis finem, hoc est in Dei, per opus exaltationem, applicationemque incubueris.

7. An in operibus tuis omnibus omnino, omnium potentiarum, immò atomorum conatu, curaveris servare progressionem in fervore, sublimitate, diligentia, itemque an ipsam progressionem dilatare auxeris, in millies milliesque majorem, vel in omnipossibilem, vel Dei adæquatam dignitati, exaltationis proportionem.

8. An omnia tua ita vivida conatu peregeris, vel peragere desideraveris, ac intenderis, ut vim non tantum facere cælo, sed etiam Divino cordi, illudque penetrare apta fuerint, neque prætempore in cursu ad Deum elanguerint. 9. An Præsentiam Dei vivam præ oculis semper habueris, eaque ad devotionem, æstimationem, imitationem,

Dr. C.  
Bicki  
Operi  
Tomus  
N. V  
58



tionem, placendi ſtadium, reverentiam, guſtus expletionem, excitatus, & in Deum abſorptus, tibiſque veluti ſubductus quodammodo fueris.

10. An quantum exaltare Deum, tantum ſimul deprimere te curaveris, quantum amare Deum, tantum odiſſe, te, quantum ſperare & fidere in Deum, tantum deſperare & diffidere tibi, quantum quærere & invenire Deum, tantum perdere te, jacturamque tui facere laboraveris.

11. An affueſcas in rebus tuis actionibusque omnibus, ſolicitudinem & applicationem, cum lentitudine & advertentia, dominio tui, & dignitate quadam ſupernaturali, coram Deo, & coram te ipſo, & coram hominibus habere, neque uſpiam feſtinare, præcipitari, abſorberi, ad naturalia, ad ſenſualia, ad tua deſlectere.

12. An ſtudueris ordinaria potiùs conſuetaque & propoſita (eſto pauca) diligenter, ſublimiter, ferventer peragere, quàm nova invenire, arripere, multiplicare, & ſolius duntaxat executionis cauſâ feſtinare, ſteriliterque agere, cum ordine temporum, actionumque, cum obſervatione regularum, religionis aut vitæ communis, cum obſervatione dictaminum regularumque tuarum, privatarum, adæquando lumen intellectus, & efficaciam affectus.

13. An ſtudueris commodè multiplicare circumſtantias operationum paſſionumque tuarum, tam ex parte potentiæ tuarum ad operationem concurrentium, quàm ex parte obſectorum connexorum, quàm ex parte circumſtantiarum creaturarum, adjunctarumque circumſtantiarum. Omnes eas v. g. acceptando, adjun-

12

et

III



adjungendo operi, earum affectu illud peragen-  
do, earum vires, potentias, substantias tibi assu-  
mendo, earum nomine agendo, easque tan-  
quam tuo nomine tuaque voluntate, & inten-  
tione actus, dirigendo ad Deum in eumque re-  
ferendo, ac illi offerendo) ut tantò plurium re-  
rum usu Deum laudares, nullamve creaturam  
vacuam laude Dei esse sineres, omnem autem  
creaturam ac circumstantiam, materiam tui in  
Deum obsequii amorisque faceres, omnium de-  
fectus tu suppleres.

14. An studueris ita facere omnia, etiam  
naturalia & sensualia, ita perpeti etiam maxima  
ac minima, & universalia, ac si per uniuscujus-  
que illius solius peractionem perpeffionemque  
salvari deberes, Deoque rem super omnia grata  
gratissimam, & gustabilissimam gloriosissimam-  
que exhibiturus esses? 15. An ita hodie omnia  
(vel an opus) feceris, ac si dies, hora, actus sit  
ultimus tibi, mediumque salutis, efficacique gra-  
tia, ad fervorem & salutem, qui fervor sit tuæ  
predestinationis ultimum medium? 16. An in  
omnibus tam prædictis, quam aliis quibusque,  
temet in gratiæ Divinæ sinum abjeceris? 17. An  
de te tuæque Industriâ penitus & totaliter assi-  
duèque desperaveris. 18. An ad omnia & no-  
minatim ad prædicta, Christum Dominum,  
Preiosissimamque Parentem in te, (& in aliis)  
elaboranda conduxeris, quâ mercede, quâ fi-  
de solutionis? quoties?

PUNCTUM 4. Erit videre impedimenta  
quæ habeas, quò minùs hæc perfectè accuratè  
perficias, continues, observes, tum negligenti-  
am, dilationem, raritatem usûs, oblivionem,  
dolore,

Dr. C.  
Bicki  
operi  
Tomus  
N. V  
58



dolore, pœnâ, delebis, emendationem statues, quæ poteris ex prædictis, re, & actu ipso statim perficies, & supplebis, atque in opere, quod huic examini succedet, exercebis.

PUNCTUM 5. erit Petere à Deo gratiam efficacem (cum diffidentia Virium propriarum) ad omnia supra dicta. hâc v. g. Oratione.

*DIGNISSIME Deus, ego ex voluntate mea per gratiam tuam adjuta, mihique donata volo, Tu, sine quo nihil sum, & possum, da mihi novam tuam gratiam efficacem, nove Tibi serviendi, per omnes mei, & creaturarum omnium mihi à me insubstantiarum impersonatarumque actiones, passiones, potentias, partes, atomos, sequente præcedentem excedente, in millies millies majori, perfectione fervoris, sublimitatis, diligentia, ad purum gustum tuum, ad nullum premium meum, semel pro semper, digne Te dignissimo Deo meo, insuperque amplius, quia hæc est voluntas Tua, & Dignitas voluntatis Tue.*

Hoc Examen fervori soli examinando, excitando, conservandoque (ut ex decursu apparet) militat. Respicit autem hoc examen fervorem in tribus, nempe in fervore ipso, sive devotione, aut devotionis promptitudinisque intentione, in intentionis simplicitate, puritate, sublimitate, in applicatione diligentiaque agendi & conatu. Hæc enim tria necessariò conjungenda sunt, in omni opere, si ferventis operis nomen, & gratiam fructumque mereri debet. Porro usus hujus Examini spiritualibus perfectisque viris, debet esse quàm commendatissimus semper quidem, at præcipuè matutino tempore, in quæ præmitti deberet omnibus actionibus. Deinde Januario Mense in quo,

cum



cum novo anno, novus quoque ardor spiritus in Dei servitio concipiendus, & pro toto anno corradendus est. ita ut anni novi proposita eadem sint cum his, quæ sunt hoc loco. Puncto 1. ad exequendum recensita.

## INDUSTRIA X.

*Ratio examinandi fontes communiores communium  
at præcipue quotidianorum defectuum.*

**E**SSE aliquos peccatorum & defectuum fontes certum est. esse complures, etiam id certum: esse aliquos notiore, occultiores aliquos, id quoque certum esse debet. Hæc Industria aliquos, & eos ferè subtiliores, occultioresque & intimos internosque, etiam perfectis expendendos proponit. Hæc verò expensio, est ad vitam spiritualis perfectionem maximi momenti, aliter enim quotidiani defectus, nec sane rari, aut leves corrigi non poterunt unquam; fontibus enim patentibus, scaturiet defectuum aqua: patere autem necesse est fontes, nisi obturentur, obturari non possunt, nisi cogniti prius fuerint. Eos ergo nosse, expendere, & quotidie præ oculis habere oportet, quod hac examinandi ratione fieri poterit.

**PUNCTUM I.** Continebit recogitationem Divini Domini super te, (& super omnes creaturas) absoluti, & plenè Alti, altissimeque pleni, Continebit etiam, actionem gratiarum pro beneficiis. Denique, continebit æstimationem & dilectionem Dignitatis Divinæ gratuitam & sublimem.

PUN.

G. Dr. C.  
Bicki  
oper. as  
Tom. 115  
N. V  
58